



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Crustata animalia quomodo teneriora euadant. Cap. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

nerescunt, scilicet putrefieri incipientes, sed non tam immorari debent, vt vere putrefiant. Vnde oportet scire eorum qualitatem, quæ plus, minusve asseruari debent. Vnde ad exemplum venient

Pauones, perdices, & phasiani, vt teneriores fiant.

Occisus pauo, ex hac authoritate, duobus diebus, hyeme tribus asseruatur, vt durities carnis remittatur. Haliabas per tres dies suspensos relinquit, lapidibus ad eorum pedes alligatis. Sauonarola per decem dies suspensos sine pondere. Perdices recenter quidem macatas non esse edendas monet Simeon Sethi, sed post diem, aut alterum comedi, vt amittant quod est durum. Phasiani æstate biduo, hyeme triduo suspensi, & iugulati seruari debent, priusquam coquantur ad cibum, ex Arnoldo, & ne longiores simus, idem de alijs intelligendum iudico. Simile erit

vt aues tenerescant,

Si noctu macatas Lunæ radijs expones, coctæq; teneriores euadent, nam Luna ad carniū teneritatem plurimum confert, quæ nihil aliud est quam putrefactio quædam. Hinc ligna ad lumen Lunæ cæsa, citius putrescunt, & fructus celerius murescunt, vt Daphnis Medicus apud Athenæum.

Crustata animalia quomodo teneriora euadant.

C A P. I V.

PRIVS QUAM sermonem absoluamus carnes teneriores reddendi, non erit ab re caneros teneriores reddere, & alio modo quam in superioribus diximus, Quomodo fieri debeant

Canceri, vt teneram crustam efficiant,

Romæ ita efficiuntur, & dulce & optimum obsonium magnatum mensis apponerur, de ijs loquimur, qui in dulcibus aquis nascuntur: nam Venerijs edimus sponte mari nascentes moll. s, quos vulgo *mollucas* vocant, sed non ita dulces, vt Romæ facitatur, qui pro singulis Iulium aliquando exposcunt. Modus hic erit, Iunio, Iulio, Augusto, Septembri mensibus canceri solent cor-

tices

trices immurare, & senectutē exuere, eo tempore piscatores per fluminum ripas exquirentes, vbi foramina, & eorum cauernulas semiobrutas vident, signum habent tempus aduentasse corticē eximendi, nam quanto magis cortex tenerescit, eo altius foraminum ostiola claudunt. Teneritas à pedibus incipit, & paulatim corpus occupat, captos domi afferunt, singulos singulis fictilibus ollulis claudunt, & aquam imponunt, vt ad altitudinē medijs corporis pertingat, sic octo, aut decem diebus immorari permittunt, singulis diebus aquam permutando, & quotidie cortex magis tenerescit. Vbi totus remollitus, vt veluti crystallus transpareat, butyro, & lacte friguntur, & mensis apponuntur. Eodem modo

Squilla tenerescant

efficiemus: nam vt cancri etiam crusta exuuntur, eandem operam impendendo, quod à Natura consulto factum est, nam crusta densiore reddita, ad motum ponderē segniores redduntur, vnde excrementis, quæ in eam abibāt, in nouam internam absumptis, superior iam facta, rumpitur, & decedit.

Animalia vt pinguiora, & sapidiora fiant.

C A P. V.

SE QVAMVR quomodo pinguiora, & sapidiora animalia fiant, vt sapidiores cibos conuiuis apponamus. Circa quæ non segnis antiquorum cura fuit. Vnde plures modi non solum apud coquinariorum, sed apud rei rusticæ scriptores reperiuntur. Animalia saginare liguritores inuenere, quo vtius, ac lautius deuotarent, hinc altitia dicta, quod sagina alta, & enutrita sint. Auaria dicebantur, vbi omnia auium genera segregata farcirentur, M. Lælius Sirabo primus instituit, hisque farctores, qui rem curarēt, addidit, descriptis quid cuique aui ad farcturam apponendum esset. Hyeme melius, quam æstate saginatio fiet, quia aues eo anni tempore meliores, quia tunc minus foetu exhauriuntur, pulli melius masculi, quam foemelle, & qui nondum coiēre, aut ouum peperere: æstate dū matura, & adhuc de vite omphacium pendet, tum meliores sunt. Docceamus igitur